



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Vitæ Sanctorum Sacris per singulos anni dies
Meditationibvs illustratæ**

Paderbornæ, 1697

S. Simeon Confessor. 1. Junii.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62968](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62968)

3. Si Deus velit, ut diu in morbo, aliisque mi-
seriis jaceas, gratias ipsi age. Lauda, adora divinam
ejus providentiam; si verò te morbo, alijsque af-
flictionibus expediêrit, memento ideò Dominum
hoc fecisse, ut ipsi servires, quemadmodum Petro-
nilla Patri suo ministravit. *Noli amplius peccare*; ita
Christus monebat eos, quos sanârat. Sta promissis,
nec obliviscâre beneficiorum amantissimi Patris,



J U N I U S .
S. S I M E O N
Confessor.

1. Junii.

*Omne gaudium existimate fratres
mei, cum in tentationes varias in-
cideritis: Scientes, quod probatio
fidei vestra patientiam operatur.*

Jacobi. I. c. v. 2.

SIMEON Siculus adoratis, quas Dei fili-
us sacravit, regionibus, ad amorem pau-
pertatis, quam omnia ejus vestigia spirant,
exarsit.

exarsit. Jura sanctitatis eum Anachoretas docuit, vel semel exerrantem in foeminas oculum gravi oratione ad officium revocaturus. Ab eo deniq; manumissus loca plura magis virtutibus nobilitavit. Subinde in piratas incidit nihilo mitiora comitibus occisis passurus, ni salientem de puppe petitumque telis diviniore vis texisset. Tandem delatus Treviros speculam sibi in turris fastigio elegit, quam expugnare orcus aggressus, suas in Christianum Herculem hydras, & omne monstrorum genus nequidquam armavit. Stultius stratagema fuit, cum perditu tenebriones nescio quos fatuos ignes radiosque rugurio ejus infunderent, sed ille fanaticam lucem oculis non admisit, Solem suum mortuo sibi oriturum diducans: Dæmones, elusis artibus suis, auxilium ab hominum malevolentia petunt, qui noxiam aquarum inundationem sceleribus ejus imputare aucti, convitiis saxisque in caput innocentis sunt grassati. Stationem tamen non ante deseruit, quam illum coeli Imperator evocaret. Anno MXXV. Corpus ejus exanime prodigioso sudore immaduit. Quis arduam neget ad coelum viam? in qua etiam hi cursores, & quidem post mortem, sudant, Ex s. r.

M E D I T A T I O

*De variis tentationum victoriis
Simeonis.*

1. **N**E tentatori aditum facias in animum tuum, claude oculos præ omnibus portis. Semel tantum exerravit Simeon in vultum femine liberiore oculi jactu evagando, & hunc errorem longissimâ oratione expiavit. O oculi, scopuli! *vidis David mulierem se lavantem ex adverso: & quanta illa laudum ac meritorum oneraria naufragium fecit? neque tu times fragili carinæ? quia potius Simeone Magistro disce te ipsum corripere, & quemcunque liberiore aspectum severè plectere, Oculi vestri etiamsi conjiciantur in aliquem, in neminem tamen figantur.* S. August. Epist. 109.

2. S. Simeonem, quem Spectrorum larvis ab orandi studio absterrere non potuit Orci tenebrio, circumfusâ fatuâ luce exæcate conatus est; sed facile erat Simeoni mendacis lucis Caco-angelum abigere, qui non alium solem amavit, quàm Jesum Christum. Nunquam tuis confide meritis, si tibi sanctus videris, sanctificeris adhuc: *perfectorum justitia est, ut nunquam presumant se esse perfectos.* D. Leo. Et quia nihil adeo timet proditor tuus, quàm prodi, confessario tuo conscientiam tuam fidelitè aperi.

3. S. Simeonem Dæmonum victorem maledici homines

homines linguarum telis, & saxorum imbribus ag-
grediuntur. Si Deo servire intendis, cogita con-
clamatum esse contra te illud: *circumveniamus justum
& opprimamus eum*, tu sustine fortiter, & dic; *Si ho-
minibus placerem, Christi servus non essem.*

SS. MARCELLI-
NUS & PETRVS
MARTYRES.

2. Junii.

*Diem tempus habemus, operemur bo-
num ad omnes, maxime ad do-
mesticos fidei. Paul. ad Gal. 17.*

Nihil agis. Impietas: Christi Servus eti-
am inter vincula liber est; Insultabat
Arthemius PETRO compedibus onerato,
experiretur Dei sui vires, & rumperet cate-
narum nexum, si tamen in Jesu nomine
confideret. Petrus non id modo præstitit,
sed Paulinam insuper ejus filiam, Diaboli
mancipium, expulso improbissimo tyranno,
in libertatem asseruit, unaque Arthemio
persuasit, Deo, antea subsannato, cum om-

B b 3

nibus